

Theologia peritorum quos Reuter (l. c.) testatur a se interrogatos esse, nempe ut poenitentes non jubeantur explicare objecta venerea, de quibus simpliciter delectati sint, sed accusantes se de turpibus cogitationibus, interrogentur an consenserint in delectationem; si affirmant, ulterius interrogentur an non adfuerit turpe desiderium alicujus actus externi, an nihil mali in iis factum sit ex. gr. tactu; quodsi negent poenitentes, petatur delectationum numerus (cfr. n. 164) et quoad speciei explicationem acquiescatur.

CAPUT V.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

176. Peccatum, seu rectius vitium capitale dicitur illud ex quo alia vitia oriuntur et praecipue secundum originem causae finalis. (S. Th. 1. 2. q. 84. a. 3) Nempe si finis quem inordinate prosequitur aliquod vitium capitale, est natura sua multum appetibilis, ex. gr. excellentia propria vel divitiae, primum est multa media, etiam prava, ad illum finem assequendum adhibere: Nomen igitur *capitalis* hujusmodi vitia merentur minus propter gravitatem peccatorum quae ex illis fluunt (multa enim venialia sunt) quam propter *numerum* et *varietatem* vitiorum quae ad peccata capitalia, tamquam media ad finem, ordinantur. Ex hac peccatorum capitalium natura satis liquet pleraque ex illis fluentia peccata adversari peculiaribus obligationibus quae in aliis partibus Theologiae Moralis explicantur. Sic malitia cordis ob avaritiam duri erga pauperes elucidabitur ubi de praecepto eleemosynae agitur, etc.

Solent peccata capitalia post S. Greg. M. (Moral. l. 31. c. 45) et S. Th. (1. 2. q. 84. a. 4) recenseri septem. Hujus numeri rationem dat Doctor Angelicus (l. c.). Tria bona homo, tamquam fines primarios, inordinate *prosequi* potest: bonum animae, quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, puta excellentiam laudis et honoris, per *superbiam*, seu inanem gloriam; bonum corporis, per *gulam*, quatenus pertinet ad conservationem individui, et per *luxuriam*, quatenus pertinet ad conservationem speciei; bonum exterius, per *avaritiam*. Duplitter vero *fugit* aliquis bonum propter aliquod malum conjunctum: vel respectu boni proprii, per *acediam*, vel respectu boni alieni, per *invidiam*, quatenus abest insurrectio ad vindictam, et per *iram*, quatenus hujusmodi insurrectio adest.

De luxuria seu inordinato appetitu venereorum dicemus in explicando sexto et nono praecepto Decalogi. De reliquis hic breviter.

§ 1. DE SUPERBIA.

177. Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae.

Tres gradus in ea distingui possunt: primus quo quis vult excellere super alios aequales, et hoc est veniale ex genere suo; secundus quo quis despicit aequales vel inferiores, et hoc est mortale vel veniale, prout superbus gravem vel levem injuriam infert; tertius, quo quis propter excellentiam suam despicit Superiores eorumque legibus subjici recusat, quae est superbia consummata et mortalis ex toto genere suo. (Struggl, de Pecc. q. 3. n. 1 seqq) Si quis autem ordinate ex motivo honesto aliis praeponi vellet, is superbus non esset.

Inter vitia autem quae de se nata sunt ordinari in finem superbiae, ideoque ejus *filiae* dicuntur, ea tantum hic considerabimus quae alibi non occurrunt. Sunt autem:

I. **Praesumptio**, quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires, Haec per se venialis est, nisi quis propter imperitiam suam se gravi injuriae Deo vel proximo inferendae exponat, ut si absque sufficienti peritia vellet exercere munus medici, confessarii, etc.

Cavendum tamen ne, fugiendo praesumptionem, incidat quis in *pusillanimitatem*, quod vitium est quo homo recusat tendere in id quod est suae potentiae proportionatum. (2. 2. q. 133)

II. **Ambitio**, quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti vel debito majoris, ut si quis ambit officium quo indignus est.

Hoc peccatum est per se veniale: fit autem mortale vel ratione medii per quod honor quaeritur, puta per simoniam, vel ratione damni quod proximo inferitur. Moderatus autem appetitus honoris ob finem honestum est actus *magnanimitatis*.

III. **Vana gloria**, quae est inordinatus appetitus manifestationis propriae excellentiae, sive verae, sive fictae. Dicitur *vana*, quando quaeritur ex re mala, falsa aut ficta, aut quae non est digna gloria vel non tanta, ut ex opibus, nugis, etc., aut apud eos qui non bene de re judicant aut sine debito fine.

Haec constituit peccatum veniale ex genere suo, etiamsi quis res sacras, ex. gr. contiones, principaliter ob vanam gloriam faceret; per accidens tamen grave peccatum constituere posset, nempe si manifestatio propriae excellentiae fieret cum gravi alterius injuria, aut si quis in vana gloria finem suum ultimum collocaret, eique scienter ita adhereret ut paratus esset potius gravia scelera admittere quam ei nuntium mittere. (Struggl, l. c. n. 6) Manifestatur autem propria excellentia inordinate praesertim triplici ratione:

1^o Per verba : quae dicitur *jactantia*. Haec non raro fit mortalis eo quod aliquis jactat se in peccato gravi.

2^o Per virtutes simulatas : quae dicitur *hypocrisis*.

3^o Per exteriorem pompam : quae dicitur *ostentatio*. Haec quandoque fit mortalis, quia per nimium apparatus contrahuntur debita quibus satisfieri nequeat, vel novorum sumptuum consuetudo in civitatem introducit, ita ut praevideatur inde oritura aliis moralis necessitas expensas faciendi supra vires cum familiae et creditorum detrimento. (Struggl, l. c. n. 7)

§ 2. DE AVARITIA.

178. Avaritia est appetitus inordinatus bonorum exteriorum quae et *bona fortunae* dici solent. Inordinatus autem erit quotiescumque non refertur ad finem debitum et honestum, puta ad providendum familiae, ad benefaciendum aliis, etc. Si immoderantia illa in eo consistit quod homo plus debito acquirit vel conservat, peccatum est contra proximum : siquidem in rebus exterioribus nequit unus homo superabundare nisi alteri deficiat ; si autem immoderantia illa versatur circa interiores affectiones quas quis ad divitias habet, est peccatum hominis contra seipsum. (2. 2. q. 118. a. 1. ad 2)

Avaritia, secundum quod *justitiae* opponitur, surripiendo vel retinendo aliena, est peccatum ex genere suo mortale, ut postea de peccatis injustitiae explicabitur. Avaritia, secundum quod opponitur *liberalitati*, per immoderatas affectiones divitiarum quae tamen non pertingant ad injuriam proximo faciendam, per se peccatum veniale constituit ; potest tamen fieri ex genere suo mortalis, quando scil. adeo exerescit ut propter illum affectum inordinatum violentur stricta officia erga Deum, vel proximum. Cfr. dicenda de praecepto eleemosynae n. 222 seqq. et de liberalitate n. 248.

§ 3. DE INVIDIA.

179. Invidia est tristitia de alterius bono in quantum hoc aestimatur malum proprium, tamquam diminutivum propriae gloriae vel excellentiae. (2. 2. q. 36. a. 1) Differt ab odio, quod de bono proximi tristatur absolute, dum invidus de hoc bono tristatur quatenus est diminutivum boni proprii.

- Hoc peccatum directe adversatur *caritati* : quia, sicut haec de bono proximi gaudet, ita illud de eodem tristatur. Unde patet invidiam esse ex genere suo mortalem : crebro tamen sive ob imperfectionem consen-

sus, sive ob exiguitatem boni de quo doletur, erit venialis. (S. Th. l. c. a. 3)

Non habetur invidia, sed aemulatio quando tristitia ex eo est quod nobis desit bonum, quod alter habet, ita tamen ut illud alteri non discupiamus. Haec *aemulatio*, si versatur circa objectum honestum, est laudabilis ; si tamen agitur de bono temporali, hujusmodi affectus saepe erit vanus et inordinatus ideoque peccatum veniale, ut si bonum dolenti sit improportionatum, ex. gr. si rusticus doleret quod non esset rex. (Ball. P. n. 370)

§ 4. DE GULA.

180. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus. Quandoque iste appetitus inordinatus sit, clare patet ex iis quae S. Thom. (2. 2. q. 141. a. 6) de generali temperantiae regula scribit. " Praecipuus ordo rationis consistit in hoc quod aliqua in finem ordinat : et in hoc ordine maxime consistit bonum rationis : nam bonum habet rationem finis, et ipse finis est regula eorum quae sunt ad finem. Omnia autem delectabilia, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem sicut ad finem. Et ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitae, sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scil. tantum eis utatur quantum necessitas hujus vitae requirit. "

Haec autem necessitas attendi potest dupliciter : Uno modo, secundum quod dicitur necessarium illud sine quo res nullo modo potest esse, sicut cibus est necessarius animali ; alio modo, secundum quod dicitur necessarium illud sine quo res non potest convenienter esse. Temperantia autem non solum attendit primam necessitatem, sed etiam secundam. Alia vero quae ad hoc non sunt necessaria possunt dupliciter se habere. Quaedam enim sunt impedimenta sanitatis vel bonae habitudinis : et his temperatus nullo modo utitur : hoc enim esset peccatum contra temperantiam. Quaedam vero sunt quae non sunt his impedimenta : et his moderate utitur pro loco et tempore et congruentia eorum quibus convivit. " Igitur peccatum gulae committit quicumque cibo vel potu utitur in ea quantitate, qualitate, etc., quam praevideat obfuturam esse bonae corporis valetudini vel idoneae dispositioni mentis ad suas functiones. Excipe casum profecto rarum in quo hujusmodi comestio vel potatio necessaria foret ad grave malum evadendum. (Lessius, de Just. et J. l. 4. c. 1. n. 10)

181. Similiter inordinatum est si quis edit vel bibit propter solam voluptatem, ut constat ex prop. 8^a ab Innoc. XI damnata : " Come-

dere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. „ Hinc tamen ne concludatur peccare eum qui manducat vel bibit *cum delectatione* vel etiam *propter delectationem*; sed peccat qui haec facit propter *solam* delectationem, seu positive excludendo ultimum finem. Oportet enim ut hic finis in omnibus actionibus saltem implicite intendatur et sic omnia ad Deum virtualiter referantur (n. 32). Quod autem aliquis ad opus cui natura delectationem conjunxit alliciatur ac moveatur appetitu delectationis, quemadmodum et ad laborem, ope praemii seu mercedis, id ordini naturae est consentaneum. Reapse enim tunc vacatur huic operi propter voluptatem, tamquam propter finem subordinatum.

Minime autem requiritur ut, eo momento quo agitur, aliquis alius finis diserte intendatur, ut ex. gr. comesturus diserte sibi proponat finem a Deo alimentis praestitutum seu individui conservationem. Nam sufficit ut agens actum tamquam sibi licitum, vel (quod in idem recidit) tamquam non illicitum apprehendat. Ita S. Alph. (de Act. hum. n. 44): „ Quamvis aliquis accedens ad mensam non cogitet de conservatione vitae, sed *solum* de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitae sicque non inordinate illam appetit. „ Nam, ut addit Ball. P. qui praeclare hanc doctrinam exponit (t. VI. n. 565): „ Dum vult actum seu rationis ordini consonum, profecto virtualiter vult ea propter quae actus est consonus ordini rationis, quamvis de iis tunc non cogitet, immo etiam haec prorsus ignoret. Quae doctrina non tantum cibo et potui, sed et aliis delectationibus applicanda est, ex. gr. voluptati copulae conjugalis.

182. Gula est peccatum veniale ex genere suo, siquidem in tali inordinatione per se nihil grave cernitur. Quare probabilius est venialiter tantum peccare eum qui se cibo et potu usque ad vomitum impleat, etiam si quis vomat ut iterum possit edere et bibere. (Ball. P. n. 375)

Per accidens tamen non raro ob gulam mortaliter peccari potest. Vid.

1° Si quis adeo gulae deditus est ut paratus sit praecepta graviter obligantia transgredi potius quam huic vitio renuntiet. His convenit illud: „ Quorum deus venter est. „ (Phil. III, 19)

2° Si quis excessibus in cibo et potu notabiliter nocet sanitati suae vel se ineptum efficit functionibus quas sub gravi adimplere tenetur. Non peccant tamen mortaliter qui excessus etiam multos in cibo potuque admittunt, praevidentes periculum levium infirmitatum et brevioris vitae. Cfr. n. 353.

3° Si quis *e mera gula* vescitur carne aut sanguine humano, tum quia hoc graviter repugnat pietati defunctis debitae, tum quia viam panderet

caedibus humanis. Cfr. Lessium, de Just. et J. l. 4. c. 3. d. 2. Adde, quoad christianos, violationem legum ecclesiasticarum de sepultura fidelium, prout de crematione cadaverum dicitur Vol. II. n. 628. Attamen id videtur culpa vacare ubi justa datur causa, puta ubi naufragis nullus alius cibus suppetit: quamquam numquam licet in hunc finem hominem occidere.

4° Si quis perfecte inebriatur: qua de re ob peculiare difficultates seorsum dicitur.

183. Ebrietas perfecta, i. e. qua homo se rationis usu prorsus privet, per se est peccatum mortale. Ita hodie omnes.

Id censemus recte probari ex Ep. ad Gal. V, 21, ubi S. Paulus pluribus peccatis gravibus etiam *ebrietates* accenset, concludens his verbis: „ Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. „ Nam licet videri possit hic agi de sola ebrietatis consuetudine, non apparet quomodo haec ipsa consuetudo per se ad gravem malitiam pervenire posset si singuli ejus actus levem tantum malitiam continerent.

Re autem in se inspecta, gravis malitia ebrietatis elucet:

1° Ex eo quod homo non tantum actu se privat ratione qua in Deum ordinatur, sed etiam facultate utendi ratione pro tempore notabili: quod tamen necessitas subito exurgens exposcere posset.

2° Ex eo quod id fit propter solam vini aliusve liquoris alcoolici voluptatem, sine ulla necessitate.

3° Ex eo quod per ebrietatem homo imaginem Dei deturpat sequenti amenti bruto similem efficit. (Lehmk. I. n. 742)

Adverte tamen ad malitiam hanc contrahendam requiri ut homo ebrietatem velit vel *directe*, puta ad dolores obliviscendos, vel *indirecte*, dum clare advertit potum esse immoderatum et inebriantem, et tamen mavult ebrietatem incurrere quam a potu abstinere. (2. 2. q. 150. a. 2) Insuper oportet ut se inebrians praevideat se rationis usu privatum iri *per tempus notabile*, puta per horam. Haec tamen condicio ad praxim parum facere videtur: siquidem valde dubium est num perfecta privatio usus rationis minore tempore quam unius horae spatio dissipari queat; deinde, quis hoc praevidebit? (Ball. P. n. 392) Non excusatur autem a mortali qui sumit quantitatem potus de se aptam ad ebrietatem perfectam inducendam, licet, antequam sensibus destituatur, se somno committat quo vini effectum effugiat. (S. Alph. l. 2. n. 77) Nam mali causam totam posuit, manebitque incapacitas recuperandi usum rationis, quae e somno naturali orta non esset.

184. Venialem tantum culpam per se admittit qui propter excessum potus, phantasia perturbatur, vomere cogitur, lingua pedibusve titu-

bal, etc. Haec enim non sunt signa rationis perfecte amissae. Aliter dicendum esset si quis tantos excessus faceret ut per notabile tempus non posset discernere inter bonum et malum vel ea faceret quae hanc discretionem penitus abesse ostenderent.

Confessarius autem recte *praesumere* potest ebrietatem voluntariam fuisse ei qui crebro inebriari solet, ex. gr. decies singulis mensibus. Si quis vir satis intelligens confitetur se intra mensem semel vel iterum fuisse ebrium, interrogetur utrum ebrietatem praeviderit. (La Croix, l. 5. n. 319) Qui una alterave vice, sine ulla consuetudine, ebrius fuit, *praesumendus* est ebrietatem non praevidisse.

Ipsa ebrietas *imperfecta* non raro aliunde grave peccatum secum trahere potest, scil. ratione scandali, ex. gr. in clerico quem laici semi-ebrium esse adverterent, vel ratione damnorum quae e consuetudine talis excessus oriantur propriae valetudini vel parentibus, uxori, liberis; ideo talis consuetudo facile mortalis fit in patre vel matrefamilias.

185. QUAER. I. Num liceat se inebriare ad grave malum vitandum.

RESP. E communi et probabiliori sententia, licet: ponitur enim, ob rationem proportionate gravem, causa de se indifferens e qua immediate sequitur duplex effectus, bonus qui intenditur, malus qui permittitur (n. 14). Neque audiendi sunt qui opinantur ebrietatem esse intrinsece malam: hoc enim nequit probari nisi cum inducitur absque necessitate, solius voluptatis causa, quod extra hypothesim versatur.

Hinc videtur licitum ebrietatem inducere ad morbum depellendum, si quando practicum est, ex. gr. ad typhum depellendum, vel ad coercendam vim veneni quod e serpentis morsu haustum sit. (Sabetti, n. 149) Similiter, per se licebit sensus sopire ope ebrietatis ad magnos dolores levandos: nullum enim discrimen morale videtur inter hoc medium et alia, ex. gr. chloroformium, quae adhiberi solent. At illicitum est inebriare moribundum ut sine dolore decedat: nam eo tempore prorsus necessarius est usus rationis ut homo mereatur vel etiam (si opus sit) se cum Deo reconciliet; insuper aequivalenter vita huius moribundi minuitur. Quare prohibendi sunt medici ne hoc vel alio medio moribundum sensu privent. Liceret quidem interdum passive se habere quando moraliter certum esset eum Deo plene reconciliatum esse, numquam autem quando aegrotus nondum rite ad moriendum dispositus esset. Cfr. Ball. P. n. 386; Lemhk. n. 743.

Ad depellendam tristitiam vel melancholiam liceret tantum bibere usque ad hilaritatem: talis enim ratio non habet proportionem cum malo ebrietatis perfectae. (La Croix, l. 5. n. 324)

186. QUAER. II. Num liceat quandoque alium inducere in ebrietatem ut grande malum avertatur, ex. gr. furtum vel homicidium.

RESP. Probabiliter id licet, sive ebrietas haec (ut plerumque continget) a bibente non praevideatur, ideoque sit ei mere materiale peccatum, sive praevideatur et formale peccatum constituat. Ratio ob quam S. Alph. (l. c. n. 77) probabilitatem huius sententiae admittit, valde clara est: quod licet inducere alterum ad minus malum ut impediatur a malo majore ad quod jam determinatus supponitur. Cfr. n. 234.

187. QUAER. III. Num imputentur mala quae in ebrietate committantur.

RESP. E principiis datis de voluntario in causa liquet ea non imputari si non fuerint praevisa: quando autem probabiliter praevidentur, sive sponte, sive sub alieno impulsu committenda, imputantur, tamquam indirecte voluntaria; sub gravi vel sub levi, prout tamquam gravia vel levia apprehenduntur. Hoc valet non tantum de peccatis operis, ut caede, impudicitia, damnificatione, sed etiam de plerisque peccatis linguae, ut sunt perjuria, sermones obsceni qui aliis scandalo sint, manifestatio secretorum, blasphemiae. Excipiendae sunt tantum contumeliae in hominem prolatae: cum enim communiter ab iis qui impetuntur risu excipiantur, neque eorum honorem laedere censeantur, nulla est obligatio eas vitandi. Aliqui AA. ut Vasquez et Salmantic. idem opinantur de blasphemis, varias ob rationes, ex. gr. quia verba haec tantum materialiter ab ebrio proferuntur tamquam sonus a pica. Nihilominus communiter ab AA. ista opinio rejicitur: quia ebrio manent veri conceptus, licet eos dirigere nequeat, et quia honor divinus talem contumeliam quam omnes horrent fugere praecipit. (Ball. P. n. 396 seqq.; Lemhk. I. n. 745; cfr. supra n. 93)

Idem, ut per se liquet, dicendum de malis quae in ebrietate imperfecta fieri praevidentur, nisi quod haec etiam directe semi-voluntaria manere possint.

§ 5. DE IRA.

188. Ira est inordinatus appetitus vindictae. Haec est ejus definitio prout vitium est: ira enim proprie est passio quaedam appetitus sensitivi, in appetitu vindictae consistens. Jamvero, cum vindicta bene appeti quandoque possit, nempe quando id fit secundum rationem rectam, tunc et ira laudabilis erit. (2. 2. q. 158. a. 1)

Inordinatio autem in appetitu vindictae dupliciter contingere potest : quoad objectum vindictae et quoad modum irascendi.

Ira est vitiosa propter *objectum*, si quis appetit ut fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta si appetit puniri eum qui non meruit vel ultra quam meruit vel etiam non secundum legitimum ordinem vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiae et correctio culpae. Ita erit peccatum mortale ex genere suo, quia contrariatur caritati et justitiae. Veniale igitur erit si vindicta quae appetitur valde levis est.

Ira est vitiosa quoad *modum*, etiamsi justa vindicta appetitur, quando immoderate fervescit vel interius vel exterius. Ita est peccatum ex genere suo veniale; interdum tamen secum trahit alia peccata gravia ut blasphemias, maledictiones, scandala.

De reatu *filiarum* irae, ex. gr. indignationis, tumoris mentis, contumeliae etc., vel alibi ex professo dicitur vel facile e principiis generalibus judicari potest.

§ 6. DE ACEDIA.

189. Acedia est tristitia de spirituali bono. Cum autem istud spirituale bonum sensu vel communi vel particulari accipi possit, hinc quoque duplex acedia distinguitur. Nam si spirituale bonum accipitur *communiter*, acedia erit quoddam generale taedium quo homo refugit opera salutis utilia, praesertim propter molestias quas corpori inferunt : qui sensus apud ascetas frequens est, sed non constituit vitium aliquod speciale distinctum a ceteris et praesertim a vitiis carnalibus quibus aliquis quietem et delectationem corporis quaerit. Sed *speciale* vitium constituit acedia, quando bonum illud spirituale intellegitur bonum divinum de qua gaudere proprium est caritatis. (2. 2. q. 35. a. 2) Acedia, quatenus speciale peccatum constituit, est mortalis ex genere suo, siquidem secundum propriam rationem contrariatur caritati. Attamen saepe venialis erit, quia motus acediae in sola sensualitate sistit, neque ad plenum rationis consensum pertingit, ita ut caro omnino contra spiritum praevaleat. (S. Th. ib. a. 3) Exemplum acediae specialis habes in eo qui doleret, ob virtutis molestias, quod ad fidem christianam vocatus esset. Ad acediam vero generalem refertur ea quae a multis accusari solet tristitia de opere bono quatenus molestum est. Hoc plerumque peccatum veniale constituit, nisi quis opus quoddam sub gravi obligans omnino aversetur, vel ita indulgeat huic tristitiae ut se scienter conjiciat in grave periculum hujusmodi opus omittendi.

Si quem poenitet operis boni libere peracti, puta voti emissi vel

sacerdotii suscepti, haec tristitia non constituit peccatum grave, dummodo retineat firmam voluntatem adimplendi votum vel obligationes status sacerdotalis; quandoque etiam posset haec tristitia omnino vacare culpa, quando scil. imprudenter votum emisisset vel statum clericalem amplexus esset. Cfr. Lehm. I. n. 251. Nam talis poenitentia non est de objecto quod vi hujus voti sit praeceptum : siquidem nullatenus promissum est semper gaudere de voto facto. Totum ergo redit ad motivum ob quod doletur, ad periculum quod ex illa tristitia oriri potest ceterasque circumstantias. (Suar. de Relig. tr. 6. l. 3. c. 7. n. 4)